

*tractus non tam verbis, quam consensu confir-*  
*mantur.* Quare si obligatio sine verbo-  
rum formulis contracta non est stipula-  
tio, nomenque stipulationis sine effectu  
remansit, quid magnopere opus est im-  
pendere ingenium intelligendis tot  
subtilitatibus, quæ solis his stipulatio-  
num formulis & syllabis nituntur? Quid  
alia ex parte dicemus de obligationibus  
ex delictis & maleficiis? Nam ubi nunc  
est pœna, mulcta, actio, aut formaliti-  
gandi, quibus veteres utebantur? præ-  
sertim cum Justinianus suo jam tempore  
maximam earum partem aboleverit, qua-  
les sunt actiones furti concepti, furti o-  
blati, furti prohibiti, furti non exhibiti,  
de damno injuria dato tum infinitæ simi-  
les aliæ leges, quas commemorare longum  
foret: neque hæc ullum apud nos locum,  
aut usum inveniunt, non magis quam  
illæ, quæ ad crimina publica & capitalia  
pertinebant. Unde in promptu est ju-  
dicare, quam felicem se Juventus existi-  
mare possit, quæ in tali studio tempus  
transigit & consumit. Nam quemad-  
modum oculus se conservat ac confirmat  
colore qui splendore & elegantia ipsum  
delectat, ita similiter studium ingeniis